



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quare secundum formam serui dicitur Christus suscitaturus corpora. [C]

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

*Ioan. 5. d**Super Ioan.*

mam serui glorificatam, à bonis & à malis tunc videri: sic, Cum in forma serui glorificata iudicantur viderint boni & mali, tolletur impius, vt non videat charitatē Dei, qua Deus est: quam soli mundo corde videbunt: quod erit eis vita æterna. Forma ergo humana in Christo glorificata videbitur à cunctis: vnde & Christus dicitur iudicaturus quia filius hominis est. Ita n. legitur in Euang. Ioh. & potestatem dedit ei iudicium facere: quia filius hominis est. Non quod ipse ex virtute hominis iudicaturus, vel quod ipse solus sine patre & Spir. S. sit iudicium factururus: sed quia ipse solus in forma serui iudicans bonis & malis videbitur. Cum ergo pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio: non ita est intelligendum, quod filius solus iudicet, & non pater: sed quia forma filii humana cunctis in iudicio apparebit, non in forma infima, sed gloriosa. Iudicabit autem ex virtute diuinitatis, non sine patre & Spir. S. & apparebit terribilis impiis, & mitis iustis. Erit enim terror malis, & lumen iustis.

*Ioan. 5. c**Super Ioan.*

Quare secundum formam serui dicitur Christus suscitaturus corpora.

*Super Ioan.**tract. 23.**Ib. d. paulo**inferius.**Super Ioan.**tract. 23.**Ib. d. paulo**inferius.*

Et sicut dicitur Christus secundum formam serui iudicaturus, ppter causam præmissam: ita etiam dicitur suscitaturus corpora mortuorum, secundum humanitatem, cum tñ virtute diuinitatis sit suscitaturus, non humanitatis. Sed hac ratione illud dicitur, quia in humanitate suscepit, quod est causa nostræ resurrectionis, i. passionē & resurrectionē. Ideo ei ascribitur secundum hominē suscitatio mortuorum. Vnde Aug. Per verbum filium Dei, fit animarū resurrectio. Per verbum factum in carne filiū hominis, fit corporum resurrectio. Itē, iudicat & suscitatur corpora non pater, sed filius secundum dispensationē humanitatis: in qua minor patre est Christus. In eo quod est filius Dei, est vita, quæ viuificat

eat animas: in eo, q̄ est filius hominis iudex. Ecce secundum formā humanitatis dicitur suscitatur⁹ corpora, & iudicaturus. Iudicaturus autē quia illa forma cunctis in iudicio apparebit: & suscitatur⁹, quia in eadē forma meritū, & causam resurrectionis nostræ suscepit. Et quia secundum eandē formam vocē dabit, qua mortui de monumentis resurgent & p̄cedent. Secundum quod Deus est, viuificat animas, nō pater tantum: quia non tantum pater vita est, sed & filius cum eo, & Spir. S. eadem vita est, quæ pertinet ad animam non ad corpus. Corpus enim non sentit vitam sapientiæ, sed anima, quæ illuminatur à lumine æternō. Licet ergo Christus potentia diuinitatis viuificet animas, & suscitet corpora, & iudicet: non otiosè tamen & præter rationem ei secundum formam Dei tribuitur viuificatio animarum, & secundum formam serui iudicium & resuscitatio corporum.

De loco iudicii.

D

Putant quidam Dominum descensurum in vallem Iosaphat in iudicio: eo quod ipse per Iohelam Prophetam sic loquitur. Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat, & disciprabo ibi cum eis. In cui⁹ capituli expositione ita reperi. Hoc quidem pueriliter intelligunt, quod in valle, quæ est in latere montis Oliueti, descensurus sit Dominus ad iudicium: quod friuolum est. Quia non in terra, sed in spacio huius aeris sedebit, contra locum montis Oliueti, ex quo ascendit. Et sicut Ioan. Chrysof. dicit, Angeli deferent ante eum signum crucis: vnde in Euangelio veritas dicit. Et tunc apparebit signum filii hominis, &c. Iosaphat autem interpretatur iudicium Domini. In vallem ergo Iosaphat, id est, iudicii Domini congregabuntur omnes impii. Iusti vero non descendunt in vallem iudicii, id est, damnationem: sed in nubibus eleuabuntur obuiam Christo.

Iohel 3. 8

Gloss. ord. ad
c. 3. Iohel. hac
omnia habet.Chryf. ho. 13
de cruce &
latrone, t. 3.
Matth. 24. 5
1. Theff. 3.